

8738.

1375 mars 14.

Avignon.

(Påven Gregorius XI) utser Nils (Hermansson), ärkedjåkne i Linköping och baccalaureus i romersk rätt, till biskop i Linköping efter framlidne Gotskalk (Falkdal) och efter val av domkapitlet därstädes.

I samband härmed utfärdar påven även skrivelser i samma ärende till följande adressater: domkapitlet i Linköping, prästerskapet i Linköpings stad och stift, folket i Linköpings stad och stift, ärkebiskop (Birger Gregersson) i Uppsala samt kung Albrekt av Sverige.

Avskrift i Reg. Aven. 198, fol. 9r–10r, Vatikanarkivet.

Om provisionen se Y. Brilioth, *Den påfliga beskattningen af Sverige* (1915), s. 299; S. Engström, *Bo Jonsson I* (1935), s. 214 f.; H. Schück, *Ecclesia lincopensis* (1959), s. 87.

Dilecto filio Nicolao electo Lincopensi salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi coadiuuante Domino cupientes solliciti corde reddimus, ut, cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores proficere studeamus,^a qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valea[n]t^b duce Domino gubernare. Dudum siquidem quondam Godscalcho episcopo Lincopensi · regimini Lincopensis ecclesie presidente nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, vtilem et ydoneam per apostolice sedis prouidenciam preesse personam prouisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre · ea vice duximus specialiter reseruandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hijs per quoscumque quauis auctoritate scienter uel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum uero dicta ecclesia per obitum dicti Godscalchi episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta dilecti filij capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reseruacionis et decreti forsan ignari te eiusdem ecclesie archidiaconum, bacallarium^c in legibus, in^d presbiteratus ordine constitutum, in episcopum Lincopensem licet de facto concorditer elegerunt tuque reseruacionis et decreti predictorum similiter inscius eidem eleccioni illius tibi presentato decreto · consististi eciam de facto; et deinde reseruacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos eleccionem predictam et quecumque inde secuta utpote post et contra reseruacionem et decretum predicta attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes et ad prouisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque po[te]st^e reseruacione et decreto obsistentibus supradictis · ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis paternis et sollicitis studijs intendentes post deliberacionem, quam de proficiendo · eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem · demum ad te vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus prouidum et in temporalibus circumspectum ac alijs multiplicium virtutum meritis, prout fidedignis testimonijs accepimus insignitum, direximus oculos nostre mentis / quibus omnibus necnon dictorum capituli concordi voluntate attendita meditatione pensatis de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio · auctoritate apostolica prouidemus teque illi proficimus in episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo · firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata ecclesia gracia tibi assistente diuina per tue circumspectionis industriam et prouidenciam circumspectam salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis prefate ecclesie deuote suscipiens curam et administracionem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori prouido et fructuosof administratori gaudeat se commissam, tuque proinde^g preter eterne

retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde vberius^h consequi merearis. Datum Auinionē · ij · j^o · j^o · Marcij, anno quinto.

In eodem modo · dilectis filijs capitulo ecclesie Lincopensis salutem etc. Apostolatus officium etc. usque incrementa. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem electum · tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedienciam et reuerenciam debitas et deuotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sentenciam, quam idem electus rite tulerit in rebelles, ratam et gratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfacionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum ut supra.

In eodem modo · dilectis filijs clero ciuitatis et diocesis Lincopensis salutem etc. Apostolatus etc. usque incrementa. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore · ac exhibentes sibi obedienciam et reuerenciam debitas et deuotas eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis. Alioquin sentenciam, quam idem electus · rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfacionem condignamⁱ inuiolabiliter obseruari. Datum ut supra.

In eodem modo dilectis filijs populo ciuitatis et diocesis Lincopensis salutem etc. Apostolatus officium etc. usque incrementa. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum deuote suscipientes et debita honorificencia prosequentes ipsius salubribus monitis et mandatis humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis deuocionis filios et vos in eo per consequens patrem inuenisse beniuolum gaudeatis. Datum ut supra.

In eodem modo · venerabili fratri · archiepiscopo Vpsalensi salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame · si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, diuine propiciacionis intuitu oportuni presidij et fauoris gracia prosequaris. Dudum siquidem etc. usque incrementa. Cum igitur, ut idem electus in commissa sibi cura predictae Lincopensis ecclesie facilius proficere valeat, tuus fauor ei fore noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus predictum Nicolaum electum et commissam sibi ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et dicte sedis reuerencia propensius commendatos in ampliandis et conseruandis iuribus suis, sic eos tui fauoris presidio prosequaris · quod ipse electus tuo fultus auxilio in commisso sibi ecclesie prefate regimine · se possit utilius exercere tuque diuinam misericordiam valeas exinde vberius promereri. Datum ut supra.

In eodem modo · carissimo in Christo filio Alberto regi Swecie · illustri salutem etc. Gracie diuine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis, presertim · ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus, oportuni fauoris presidium et honor debitus impendatur / Dudum siquidem etc. usque incrementa. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Nicolaum electum^j vna cum ecclesia suo commissa regimini habens pro diuina et apostolice sedis ac nostra reuerencia propensius commendatos sic eisdem^k te exhibeas fauore regio beniuolum et in oportunitatibus graciosum, quod idem electus per auxilium tue gracie in commisso sibi ecclesie prefate regimine vttilius proficere valeat tuque proinde consequaris premia felicitatis eterne ac nos eciam celsitudinem regiam condignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum ut supra.

^a Härefter överstruket per ms. ^b valeat ms. ^c D.v.s. baccalaureum. ^d Härefter understruket sacerdocio constitutum ms. ^e post ms. ^f fructuosso ms. ^g Tillagt i marginalen och här insignerat ms. ^h Härefter överstruket consi ms. ⁱ con dignam utan avstävningstecken vid radskifte ms. ^j Härefter överstruket et ms. ^k Bokstäverna dem tillagda över raden och här insignerade ms.